



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De Christo causa exemplari perfectionis & soliditatu virtutum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

nuè vtereris, quam brevi eximiam virtutum soliditatem consequeris? quam clare id videbis & deflebis in termino viæ, sed heu serò nimis, elapso tempore gratiæ! Feruor his medijs vtendi.

III. Quam serò, alacriter, & constanter his medijs vsi fuerint strenui æmulatores perfectissimarum virtutum Christi, & præcipuè B. V. Deipara, præcipuum post filium omnium virtutum exemplar. Admirare & æmulare.

De Christo eaussa exemplari perfectionis & soliditatis virtutum. III.

Expende quam absolutum nobis Christus exhibuerit speculum huius eximiæ soliditatis ac perfectionis in internis virtutum actibus perfectissime frequentandis, nempe latissimè, quoad omnia obiecta: purissimè, quoad intentionem: sublimissimè, quoad intensionem actuum: constantissimè, inter prospera & aduersa: insatiabilissimè, quoad heroica desideria: idque 1. In infantia, adolescentia, vita priuata vsque ad annum trigessimum. 2. Triennio, & quod excurrit, prædicationis. 3. Tempore passionis, & qui-

dem semper ex gratuito amore nostri, & zelo nos ad sui æmulationem prouocandi. Gratitude, amor, zelus eum imitandi in internis virtutum actibus eximiè frequentandis.

II. Similiter quàm eximium nobis præbuerit exemplum eiusdem absolutissimæ perfectionis in externis virtutum actibus eliciendis, internisque coniungendis circa obiecta omnia quantumuis ardua, & naturæ repugnantia, purissima cum intentione, summa contentione, inuicta constantia, insatiabili desiderio perfectius eosdem frequentandi: idque similiter tempore vitæ priuatæ, prædicationis & passionis, quauis vltro accersita, vel aliunde oblata occasione, ex eodem incenso maioris nostri profectus desiderio. Gratitude, amor, zelus eum imitandi in externis virtutum actibus perfectè frequentandis.

III. Demùm quàm diuinam nobis reliquerit ideam superaddendi quàm frequentissime internis, externisque actibus virtutum extraordinaria longè vires nostras excedentia desideria, longè plures, puriores, intensiores, diuturniores, solidioresque circa omnia obiecta etiam possibilis, omni
pos;

possibili perfectione, absque omni spe præmij, omnium possibilium creaturarum possibili affectu, in finem usque mundi, imò in æternum & ultra earundem actus frequentandi pro diuino beneplacito. Quot, quàm incomprehensibilia Christus tota vitam tempore vitæ priuatæ, quàm prædicationis & passionis huiusmodi desideria multiplicarit? idque eo affectuosius & diuinius, quò cognoscebat clarius 1. In finitam Maiestatem Dei infinitis obsequijs esse dignissimam. 2. Gratißima esse eidem eiusmodi desideria, quæ pro factis ipsis acceptet. 3. Nobis eadem esse utilissima, quibus defectum imperfectorum operum nostrorum supplere possimus, Affectus ijdem.

De Christo causa promerente & efficiente huius soliditatis virtutum. IV.

I. **E**Xpende, quàm superabundantem nobis Christus promeruerit gratiam omnium virtutum tum internos tum externos actus cum heroicis supra vires desiderijs, cum eximia perfectione frequentandi modo

Gg 4

supra